



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 32. Privata Basileensium negotia

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](#)

Sæcul. XV. pervenerimus quo & Synodum in Late-  
A.C. 1442. ranensi Ecclesia celebrandam transtulimus, maximo, quo poterimus, numero Episcopos convocabimus, ac junctis eorum consiliis tractabimus, an expeditat aliud Concilium celebrari, quæsive ad illud admittere vel excludere oporteat, simulque de debito ordine agemus, quo pernicio-  
fis violentiis hucusque perpetratis obvia-  
ri posset. Mittemus nihilominus Lega-  
tos, qui de iis cum Cæfare atque Princi-  
pibus conferant, quamquam nihil Eccle-  
siæ proficuum cum illis agi posse creda-  
mus, nisi prius neutralitatem Christianæ  
fidei haud notam rejiciant, atque ad pri-  
stinum Apostolicæ Sedis obsequium re-  
deant, qua sola re pax Ecclesiæ reddi  
poterit. Id si facturi sunt, concurrenti-  
bus quoque, illudque approbantibus aliis  
Regibus & Principibus, qui in debita re-  
verentia firmi perstiterunt, libenti animo  
aliud Concilium celebrabimus. Hæc est  
summa Responsionis Eugenii Papæ, quam  
tamen plures alii ad annum millesimum  
quadragesimum quadragesimum ter-  
tium rejiciunt.

### §. XXXII.

#### *Private Basileensum negotia.*

*Aëna Patric.  
to. 13. Cone.  
p. 1606.* Fervente hoc pacis ineundæ tractatu,  
Basileenses multa negotia, quæ Pri-  
vato-

vatorum cauffas respiciebant, agitarunt. Sæcul. XV.  
 Præprimis Curiensis Episcopus transla- A. C. 1442.  
 tus fuerat ad Ecclesiam Constantiensem,  
 data ipsi priorem Ecclesiam Curiensem  
 servandi facultate. Patres Concilii Cu-  
 riensem Sedem commendarunt Episcopo  
 Tridentino, donec horum primus Eccle-  
 siæ Aquilejensis possessionem conseque-  
 retur. Verum Patriarcha Aquilejensis  
 hoc pacto læsus, Constantiensem impu-  
 gnabat Episcopum, qui nequaquam cessa-  
 rus videbatur. Ergo utrinque contem-  
 dentium exarsere studia. Unus ex Prin-  
 cipibus cauffam in se suscipiebat, ac  
 hortabatur Patres, ne quid statuerent  
 contra Episcopum Constantiensem, quo-  
 niam, ut inquiebat ille, ejusmodi agendi  
 ratio contraria prorsus foret unioni inter  
 Principes stabilitæ; quapropter in hac  
 caufsa nil ultra actum est. Non minus  
 fervida erat contentio Joannis de Bachen-  
 stein, Ecclesiæ Herbipolensis Præposi-  
 turam postulantis; Huic Cardinalis A-  
 relatenlis, & Basileensium non pauci  
 plurimum favebant, & tandem hanc li-  
 tem diremi optabant, verum res in-  
 decisa permanxit. Demum tempore ad  
 decernendam Legationem pro Norimber-  
 gensibus comitiis maturato, hac super re-  
 frequentes] habebantur conventus, quo-  
 rum tamen optatum successum denuo e-  
 lusit congregatorum] discordia, utpote

C 4                    qui

Sæcul. XV.  
A.C. 1442.

qui jam de numero & conditione legatorum, jam de mandati articulis, nunc de sumptibus itineris inter se discordabant. Quocirca ægre admodum de hoc solo puncto convenere, ut Patriarcha Aquilejensis tanquam Legatus *a latere* non nullis aliis Prælatis stipatus, ad Imperatorem, Poloniæ, Hungariæ, & Bohemiæ Reges, Austriae Duces, pluresque alios Principes decerneretur. Erat is Cæsar, ac Regis Poloniæ Patruelis, totoque studio contendebat, ut Bohemiæ Regnum Polono assereretur, & quidem eo majori jure, quod jamjam magnam illius partem teneret. Attamen Basileensibus non eadem erat sententia, quippe illi potius hanc coronam Ladislao addixissent, quamvis adhuc infans, ac Filius non nisi post Alberti Cæsaris Patris sui obitum natus esset. Suppeditabat Felix sumptus ad Deputatorum iter necessarios, & Basileenses insuper postulabant, ut quatuor adhuc alii Præfules, nimirum ex singulis Nationibus unus, pro futuro Concilio Præses esset; sed rursum Felix & Cardinalis Arelatensis huic petito acriter sese opponebant, caussati, ex his duos, quos ex Italica, & Hispana Natione eligere oporteret, Arragonum Regis subditos fore; ejusmodi autem Viros ab hoc munere necessario arcendos esse. Ast modo de Græcorum rebus agamus.

*Patri. ibid.*

§. XXXIIIL